

## QVINTVS.



lum h. rectum, & arcum a, b. notum ex z, h. & h, b. nota fiet z, b. Excessus igitur z, a: super z, b. est duæ partes 30. m. notus. Sed tota a, d. est decem partes, 30. m. Si itaq; tota a, d. fieret 60. m. proportionalium, fieret in hoc loco excessus z, a. super z, b. 14. m. ferè, hæc m. proportionalia scribantur in directo 30. gr. q; postea cum centrum epicycli fuerit in auge ecentrici, & Luna intra auge epicycli & oppositum eius, intrabimus tabulam cum argumento dimidiato, & secundum proportionem minorum proportionalium inter primum & secundum terminum ad 60. sumemus partem proportionalem de differentia primi & secundi termini diuersitatum, & eam addemus diuersitati aspectus termini primi, & pueniet nobis diuersitas aspectus ad locum Lunæ in epicyclo quæsitæ. Similiter fient minuta proportionalia inter tertium & quartum terminum quasi centrum epicycli e. sit in opposito augis ecentrici, & tunc z, e. ad e, a. proportio erit ut 60. ad 8. & ita sumpto a, b. 60. gr. fiet excessus z, a. super z, b. tres partes 37. m. Sed a, d. est 16. quæ si fiant 60. m. proportionalia, fiet excessus propositus 13. m. 33. secun. quæ loco suo scribantur. Et cum centrum epicycli fuerit in opposito augis ecentrici, & Luna inter auge & oppositum augis epicycli, intrabimus cum argumento dimidiato, & secundum proportionem minorum proportionalium tertij & quarti termini ad 60. sumemus partem proportionalem de differentia diuersitatum aspectuum tertij & quarti termini, & eam addemus diuersitati aspectus termini tertij, & exhibit diuersitas aspectus ad locum Lunæ in epicyclo quæsitæ.

¶ Sit præterea ecentricus a, b, g. super centro e. & centrum terræ sit z. locus epicycli sit b. angulus a, z, b. 60. gr. qui fit dum elongatio Lunæ à Sole media sit 30. gr. Fiet igitur z, a. 60. & z, b. 54. partes, 3. m. 3. gr. 39. partes, 22. m. excessus z, a. super z, g. 20. partes, 38. m. excessus z, a. super z, b. 5. partes 57. m. Si igitur 20. partes, 38. m. fient 60. m. proportionalia, fiet excessus z, a. super z, b. 17. m. 14. secun. quæ in directo 30. gr. scribantur in tabula minorum proportionalium, & sic perfecta sunt triplicia minuta proportionalia post quatuor terminorum diuersitates. Quotiens itaq; Luna non fuerit in auge ecentrici uel epicycli, æquabis primo diuersitatem aspectus eius per primum & secundum modos, deinde per tertium & quartum terminum, & differentia harum nota, intrabis tabulam cum elongatione media Solis & Lunæ, & accipias ultima minuta proportionalia, secundum quorum proportionem ad 60. accipe partem proportionalem de differentia notata, quam adde diuersitati aspectus æquata ex primo & secundo termino, & proueniet diuersitas aspectus Lunæ in circulo altitudinis quæsitæ ad locum Lunæ in ecentrico & epicyclo.

### PROPOSITIO XXV.

**Diuersitatem aspectus Lunæ ad Solem in circulo altitudinis considerare.**

¶ Inquire ex præmissis utriusq; diuersitatem aspectus seorsum post Solis diuersitatem aspectus, aufer a Lunæ diuersitatem aspectus, & manebit quæsitum, ueluti in figura uides. Nota quia distantia maxima Solis secundum Ptolemæum fuit, 1210. sed secundum Albategni fuit 1146. harum differentia est 64. quæ sunt ferè decimanona pars distantia Solis secundum Ptolemæum. Ideo si quæris ex tabulis Ptolemæi uolens diuersitatem aspectus Solis rectificare, adde super eam decimanonam sui partem, sic maxima di-



I uersitas